28/II

1631

Actum in Castro Premisliensi Feria Sexta post Sancti Mathiae Apostoli proxima Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Primo.

Pelka inscriptionem per Consortem suam recognitam Approbat

Comparens personaliter coram officio Actisque praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Venceslaus Pelka sanus mente et corpore existens a Terris districtibus iuribus iurisdictionibusque suis quibusuis propriis et competentibus recedens huic autem iurisdictioni Castrensi Premisliensi quoad actum praesentem attinet se cum successoribus bonisque suis gratis omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo palam libere publice ac per expressum recognouit. Quia ipse inscriptionem cessionariam per Consortem suam Catherinam Dubrawska primarum Generosi olim Christophori Zołostowski secundarum vero nuptiarum Consortem suam Generoso Georgio Łogwoszowski et Catherinae Łogwoszowska coniugibus adhaerendo literis consensus Sacrae Regiae Maiestatis de omni et integro iure suo aduitalitio quod ipsi ad bona Aduocatiae antiquae Ciuitatis Sambor competebat coram actis praesentibus Castrensibus Premisliensibus sine assistentia et consensu sui recognitis factam consensis praesentibus consentit. Eandemque inscriptionem Cessionariam super eandem Aduocatiam per praefatam consortem suam eisdem Coniugibus Łogwoszowskim recognitam in toto approbauit confirmauit et ratificauit prout praesentibus approbat Confirmat et ratificat perpetuo et a possessione sua eiusdem Aduocatiae per praesentes recedit praesenti recognitione ad praemissa mediante.

Paclawski Zakrzewskiemu Donat

Comparens personaliter coram officio actisque praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Nobilis Wasilius Paczlawski filius Nobilis Iwan Paczlawski Dmitrowicz sanus Mente et corpore existens a Terris districtibus iuribus iurisdictionibusque suis quibusuis propriis et competentibus recedens huic autem iurisdictioni Castrensi Premisliensi quoad actum praesentem attinet se cum successoribus bonisque suis gratis omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo palam libere publice ac per expressum recognouit. Quia ipse bona sua haereditaria totam villae et integram sortem suam haereditariam per se a Nobili olim Kunylo Paczlawski Jwaskowicz modo donationis seu alio quouis acquisitam in Villa Paclaw et Sopotnik

in Terra

in Terra et Districtu praesenti Premisliensi consistentem Cum omni coniunctione bonorum iure Dominio et proprietate haereditate titulorum haereditario Cumque omnibus et singulis Vtilitatibus fructibus prouentibus redditibus emolumentis obuentionibus attinentiisque et pertinentiis quibusuis Vniuersis nullis penitus exceptis nec pro se suisque successoribus aut aliquopiam reseruatis (excepto agro penes metam patris sui et Generoso Fredro in Horto eiusdem recognitis sitto) Sed omnibus in genere et singulis in specie comprehensis genere per speciem et e contra in nullo derogante Verum ita late longe circumferentialiterque prout praefatorum bonorum haereditas se in suis metis et limitibus ab antiquo extendit ac protendit et prout eadem bona ipsemet recognoscens tenuit habuit et possidebat ipsique concernebant ac eidem seruiebant. Iam ex nunc et de facto Generoso Sebastiano Zakrzewski et eiusdem posteris dedit donauit ac titulo purae merae perpetuae et irreuocabilis donationis inscripsit et resignauit prout praesentibus dat donat ac titulo purae merae perpetuae et irreuocabilis donationis inscribit et resignauit perpetuo. Etiam ex nunc idem recognoscens supradicto Generoso Sebastiano Zakrzewski donatario suo et illius posteris coram officio praesenti in bona supradicta donata dat et admittit realem intromissionem et actualem pacificamque possessionem per Ministerialem quemcunque et Nobiles duos ipsi nunc ab officio praesenti additos de eo quacunque soluerint officiose acceptandam Per ipsum Donatarium suum et illius posteros bona praefata donata iure haereditario tenenda habenda possidenda illisque pacifice et quiete vtifruendo ac ad vsus suos quoscunque, successorum quorumuis beneplacitos libere et effectualiter Conuertenda temporibus perpetuis. Debetque et tenetur memoratus recognoscens Nobilis Wasilius Paczlawski prout se ac suos successores inter super bonis suis quibuscunque habitis et habendis praedicto Generoso Sebastiano Zakrzewski et illius posteris instituit et obligat ipsum et illius successores in dictis bonis donatis et ratione eorundem bonorum ab omni et quauis impetitione iuridica quarumcunque personarum Cuiuscunque conditionis status et sexus existentium per omnes praescriptiones Terrestres prout ad quamlibet personam Terris spectat et pertinet praesentibus in omni iudicio et officio Regni euincendo tenendo quoties opus fuerit tueri defendere